DE JURE NATURALI, ET POSITIVO TUM DIVINO TUM HUMANO

THEOLOGICA CONCERTATIO

QUA

LEGUM ORIGINE, NATURA, VARIETATE, VI, PROPRIETATIBUS

Præeunte Fulgidissimo Ecclesiæ Lumine

P. O. AUGUSTINO

ASSERTIS, ET VINDICATIS

Libertinorum, ac Protestantium impia Juris Systemata subvertuntur, ac in S. P. Augustinum impactæ calumniæ dissipantur

Publicè ineunda Neapoli in Collegio PP. Augustinensium

APUD S. AUGUSTINUM MAJOREM

A

F. THOMA CRISTOFARO

EREMITA AUGUSTINIANO THEOLOGIÆ DEFENDENTE

Annuis recurrentibus Solemniis S.Catharinæ V., & M. Alex: Studiorum ejusdem Ordinis Patronæ

Facta cuilibet Professori post tertium contradicendi facultate

EIQUE PRÆERIT

F. VINCENTIUS BARISANI

S. T. M., ET PRÆFATI COLLEGII REGENS

Anno 1777. Mense Nov. Die Hora tertia post meridiem.





NEAPOLI MDCCLXXVII.

Typis VINCENTII URSINI.

PUBLICA AUCTORITATE.

Unaquæque Anima tanto est pietate purgatior,
Quanto privato suo minus delectata,
Legem Universitatis intuetur,
Eique devote, ac libere obtemperat:
Est enim lex Universitatis divina Sapientia.
S. P. Aug. l. 83. qq. q. 79.

REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO

FRANCISCO XAVERIO VAZQUEZ

PERUANO AUGUSTINIANI INSTITUTI

Summo, Vigilantissimo, ac Perpetuo Moderatori.

F. THOMAS CRISTOFARO A SOLOFRA

Subditorum humillimus

F A U S T I T A T E M.



UUM omnia jura Natura duce clament Majoribus devotionem, reverentiam obsequium exhibendum, & eò humilius, quò sunt & dignitate præstantiores, & sapientia fulgidiores, & animi virtutibus cu-

mulatiores ; habes jam PATER REVERENDISSIME *causam , quæ me impulit , ut disquisitionem hanc Tibi sisterem , eximioque Nomini Tuo inscriberem , & nuncuparem . Tu namque ille unus es , qui sicut nos omnes dignitate , auctoritateque antecedis , ita vera sapientia , ac sublimioribus animi dotibus coruscas adeò , ut undique earum splendor maxima effulgeat luce , probique omnes gestorum præclarè tuorum , non tam celebratores , quàm admiratores existant . Quis equidem unquam non admirabitur zelum flagrantissimum , curam indefessam , laborem assiduum , sedulitatem , dexteritatemque in promovendo augendoque Ordinis , quem sanctissimè moderaris , decore , in regularis disciplinæ puritate magis magisque firmanda , in scientiis fovendis , in literatis extollendis , in vera germanaque doctrina Parentis Optimi Augustini , Ecclesiæ luminis fulgidissimi , a qua nec latum unguem discedere , eique mordicus adhærere Augustinianæ Scholæ religio est , ubique Terrarum dissseminanda ? Quot , Bone Deus ! monimentis ære perennioribus nominis tui , ac illustrium facinorum fama , jam ultrò citròque obstrepens , apud seram etiam non vigebit posteritatem ! Conventus reedificati , & in elegantiorem formam redacti : Bibliothecæ munificentissimè locupletatæ : Studia concinnata : Ordinis Constitutiones ad meliorem congruentioremque temporum conditionibus normam accomo-*

como-

comodatæ : Beatorum fastis auctoritate Apostolica adscripti plures ex Majoribus nostris Sanctitatis fama insignes : pax, tranquillitas in toto, qua se latè patet, nostro Instituto suavitate, & prudentia regiminis tui, ad invidiam usque alita, & conservata, aliaque penè innumera quæ patrasti clariora, a quibus recensendis, ne nimium tua abutar modestia, abstineo, nonne immortalem Te reddent? At numquid pariter reticere fas erit operâ tuâ, tuâque industriâ, labore, sagacitate Serenissimum, & verè Piissimum Principem FERDINANDUM BORBONIUM Parmæ Ducem illustria Fidentiæ, & Parmæ Augustiniana Cœnobia, in quibus per plura retrò sæcula non defuere unquam plurimi eximii viri, ob veræ virtutis, pietatis, & literaturæ ornamenta Deo, & hominibus accepti, Ecclesiæ, Principi, & Civili Societati utilissimi; quæque paucis ab hinc annis, irruentibus in Ecclesiasticos calamitatibus, & ad extremum penè exitium Religiosis Ordinibus eo in Statu redactis, suppressa jacebant, splendidissimis diplomatibus nuperrimè datis, simul cum redditibus omnibus Ordini restituisse, tuoque prudentissimo iterum submisisse gubernio? Ob beneficium verè maximum nulla temporis edacitate obliterandum, ac non sine ingenti animi delectatione omni ævo memoria revolvendum! Plaudit Tibi pro tam singulari, aliisque pluribus a Te susceptis beneficiis læti-

lætitiâ exultans tota quanta est Augustinensium Familia, plaudet & sera posteritas, neque injustus adeo erit ullus, qui Te tanquam Patrem beneficentissimum, Præsulem optimum, Ordinis Instauratorem non venerabitur. Quo ergo cultu, qua reverentiâ, quave demissiori non es, Pater Amplissime, *observantia prosequendus? Id me herculè exploratum habeas oportet, gestientis nempè lætitia, ac obsequentissimi animi mei erga Te sensus intra pectoris latebras adbuc continere nequivisse, quin publico hocce testimonio se foras proriperent. Verebar tamen, ne ob doni nimiam exiguitatem, humilitatemque audaciæ essem culpandus, cum Summis viris summa dona deberi Naturæ vox sit. At me erexit præconcepta maximæ tuæ benignitatis persuasio, qua soles etiam minima humaniter excipere, eaque non ex sui pretio, sed ex offerentis animo extimare; erectique jam animi fidentiam, & vires auxit concertationis materies, quæ tum ob sui dignitatem, excellentiam, utilitatem, tum ob maximam Te inter, & ipsam affinitatem, non potest Tibi non esse acceptissima. Versatur namque presens disputatio in origine, natura, vi, varietate, ac proprietatibus Legum investigandis, simulque posternendis falsis, repugnantibus ac impiissimis Systematibus, quibus recentiores Libertini, & Protestantes Seldenus, Hobbesius, Cumberlandus, Thomasius, Budæus,*

Bar-

Barbeyracus, *Rouſſojus*, *Helvetius*, *aliique ejuſdem picis*, *qui Spiritus Fortes*, *ac Juris naturalis inſtauratores ſe jactare non erubeſcunt*, *jus omne deturpando*, *ad quamcumque impietatem latiſſimam aperuere viam*. *Hinc quid hujus noſtræ diſputationis ſcopo*, *utilius poterit unquam excogitari ?* Nullo in genere diſputandi, quam de legibus, *ajebat Tullius l. 1. de Leg. n. 16.* magis honeſtè pateſieri quid ſit homini tributum naturâ, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique cauſa nati, & in lucem editi ſimus, quæ ſit conjunctio hominum, quæ naturalis Societas inter ipſos ec., *quæ ſi ab Ethnico Scriptore ſapientiſſimè dicta ſunt ; quantò verius a Catholico aſſeri non debent*, *qui luce revelatæ doctrinæ adjutus*, *& in cœleſti ſapientia eruditus*, *humani intellectus pœnali cæcitate diſſipata*, *nedùm difficiliora naturalis juris arcana pervadet*, *ſublimioreſque penetrabit receſſus ; ſed ex inhexauſtis theſauris Juris poſitivi Divini tum Veteris*, *tum Novi regulas veraciſſimas hauriet ad hominis officia moderanda*, *& dirigenda in Deum*, *in ſeipſum*, *& in proximum*, *quibus & puritas Religionis*, *& tranquillitas Reip.*, *& Socialis vitæ pax*, *& vera hominum fœlicitas*, *in ultimi finis ſui*, *qui Deus eſt*, *aſſequtione poſita*, *Gratia medicinali Salvatoris adjuvante*, *obtinebitur ? Verum non ſolum*

ma-

materiæ dignitas , excellentia , & utilitas hanc Tibi de Legibus jucundam reddent concertationem ; sed etiam arctissima , quam cum Legibus semper servasti , necessitudo . Nil quippe Legibus Tibi carius , aut fuisse aut esse , vel ex eo solo patescit, quod nihil , aut meditaris , aut decernis , aut operaris , aut observandum injungis , quod ad regulas juris , ad æquitatis & justitiæ normam , ad sanctissimarum Legum libellam , non sit apprimè respondens & exactum . Quæ cum ita sint , oro Te atque obsecro , PATER AMANTISSIME , *ut non tam quod a me in tenuissimi muneris speciem amplissimo Nomini Tuo offertur , quàm rei gratiam , animi devotionem , ac observantissimam accipies voluntatem . Interim ego in genua provolutus , omni majori , quo par est obsequio , Sanctæ Vestis fimbriam exosculor a fonte æternæ vitæ enixè flagitans , ut Te communi Ordinis bono , nostrorumque omnium , ac mei præsertim felicitati , diù servet incolumen . Vale .*

Dabam Neapoli apud S. Augustinum Majorem Idibus Novembris anno 1777.

I. Quamvis varia sint eruditorum virorum placita de ethymologica legis ratione, nos Gerardi Vossii, ac Salmeronis auctoritate ducti, Latinique sermonis consuetudine inspecta, illam a legendo derivatam arbitramur; non tamen præcipuè quia lex scribitur, & legenda proponitur; sed potius quia per legem, quæ vetanda, quæque jubenda sunt, eliguntur, quemadmodum præclarissimè animadvertit P. O. Augustinus *q.* 20. *in Levit.* scribens: *Legem ab eligendo Latini Auctores appellatam esse dixerunt*.

II. Quoniam vero id circa quod leges versantur Jus dicitur, atque P. O. Augustino docente in *Ps.* 145. *Jus est, quod justum est*, rectæ methodi causâ, justitiæ originem, & fontem primo initio statuere opportunum judicamus, ut indè legum natura, proprietates, conditiones, quæque ipsis inest adstringendi vis clariùs patescat, solidiùsque firmetur. Deum itaque, ut omnis justitiæ fontem agnoscimus, & veneramur, quatenus nempè in ipsius divina essentia relucent nedùm rerum omnium naturæ, sed etiam ordo necessarius, & æternus, quem inter se habent, ipsaque sit veluti idea archetypa, & necessaria rerum omnium, quæ fieri possunt, ordinisque earumdem ad invicem. Hujusmodi proindè ordo æternus, & immutabilis in mente divina existens exemplar, origo, & fons est veritatis, & justitiæ.

III. Deus vero, cum ipsamet veritas & justitia sit, ab hoc æterno, & necessario ordine, in quo veritas & justitia tota sita est, se avertere non potest, sed eidem perfectè & immutabiliter adhæret. Di-

vina autem voluntas huic ordini consentanea lex æterna nuncupatur, rectissimè a P. O. Augustino *l. XXII. adv. Fauſ. c.* 27. definita: *Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans.*

IV. Si rerum omnium ordo necessarius in divina adinvenitur Sapientiâ, ac *per æternam legem fit, ut omnia sint ordinatissima*, ut docet *l.* 1. *de lib. arb. c. VI.* P. O. Augustinus, jam creata omnia, tam necessaria, quam contingentia esse æternæ legi subjecta liquidè constat. Verum quia Creaturæ aliæ sunt sensu, & ratione carentes, in quibus proinde obedientia nonnisi impropriè inveniri potest, rei scilicet arbitrio carentis suo; aliæ rationales, quibus vera obedientia posita in obtemperatione animi libertatem suam retinentis respondet; hinc exploratum pariter habemus æternam legem respectu irrationalium latam dumtaxat, & metaphoricam, respectu autem rationalium creaturarum veram, & propriam rationem legis habere.

V. Sapientissimus autem rerum omnium Gubernator Deus, qui juxta suam æternam legem creaturas quascumque tum cœlestes, tum terrestres disponit regitque, hominum mentibus inserit eadem suæ ipsius æternæ legis præcepta, cujus lumine seque aliosque dirigant; atque hæc præcepta rationali indita creaturæ lex naturalis vocatur. Naturalis itaque lex in nobis nihil est aliud, quam æterna Dei ratio sempiternis rerum, earumque ordinis necessarii ideis perfectè conveniens; sive ut illam aureis P. O. Augustini verbis *l.* 83. *qq. q.LIII.* definiamus: *est ipsius æternæ legis in mente hominum per participationem*

in-

incommutabilis rationis divinæ facta transcriptio.

VI. Ex hisce sponte veluti sua fluit pravitatem, aut bonitatem actionum jussarum, vel inhibitarum a naturali lege esse interiorem, & in iis sitam, quatenus ipsæ naturâ suâ, aut discordant, aut conveniunt cum ordine æterno, & immutabili, qui inter essentias rerum in infinito Dei intellectu refulget; ac proinde bonitas, aut pravitas harum actionum concipitur prior tempore qualibet lege, sicut prior quovis libero jussu, aut legislatione divinæ voluntatis concipitur ordo æternus, & necessarius inter ideas in divina essentia tanquam in exemplari, & archetypo rerum omnium existentes.

VII. Deus autem, cum sanctissimus, & perfectissimus sit, non poterat aliam legem hominibus præscribere, nisi sanctam honestamque. Jam honestas, ac sanctitas actionum a natura jussarum mutari non potest, quin immutabilis æternusque inter rerum ideas ordo mutetur. Ordo autem hic mutationem vel minimam subire nequit, nisi essentia ipsa Dei, in qua ut exemplari, & fonte eædem ideæ, cum suo ordine elucent, mutationi subjaceat, quod impium est cogitare; necessario fit inde pariter consequens, quod etsi Deus potuerit creare, aut non creare hominem, non potuit tamen legem aliam naturali contrariam, aut ab ipsa diversam in ejus mente inferere.

VIII. Imò quoniam homo mente, & diligendi facultate essentialiter præditus est; lex autem naturæ ab ipsa ratione est indistincta, quod egregiè nimis docet P. O. Augustinus *Conc.* 25. *in Psalm.* 115. scribens: *Sine lege naturali essent, si præter natu-*

 ram

rum generis humani esse potuissent, neque etiam potest homo concipi naturali lege destitutus. Mera proinde, est illusio quorumdam homines quandoque *Ex-leges* comminiscentium.

IX. Ordo quoque Creatorem inter, & creaturam necessario exposcens, ut hæc ab ipso regatur, eidemque pareat, sicque suo subjaceat Factori; necnon rationalis creaturæ conditio, quæ legis capax est, directionis, & imperii, quæque ob intrinsecam defectibilitatem ad bonum, & malum flecti potest, in errores labi & vitia, satis luculentèr firmissimèque demonstrant sine naturali lege a qua dirigatur obstringaturque hominem esse haud posse.

X. Et reapse unicuique hominum inditam esse naturalem legem, singulisque, quantumvis, aut educatione, aut locorum, temporum, & morum distantiâ discrepent ab invicem, unam summam & intimam regulam honestatis affulgere, præter ingenitum virtutis appetitum, ingeneratamque abominationem vitiorum, ostendit evidentissimè perpetuus conscientiæ stimulus, quo torquentur quicumque ab hac lege deflectunt. Synderesis quippe malè sibi conscium depascens latens in pectore fractæ legis, testimonium est ineluctabile.

XI. Huic autem naturali legi maximam inesse vim obligandi, ipsamque sufficienti sanctione instructam esse, ac adeò, ut nulli fas sit eam, vel minime lædere, absque impietatis, & dementiæ nota denegari non potest. Sive enim summi Dei sapientiam, sanctitatem, justitiam, providentiam, ceteraque ipsius inspiciamus attributa: sive perfectionem, & finem humanæ naturæ convenientem, a quo per na-

naturalis legis violationem receditur, meridiana evadit luce clarius, aliud non potuisse Dominum velle æternæ legis dictata mentibus nostris inferendo, quam nos adstringere, ut ad horum dictatorum normam mores componamus, sicque ordo ille, cujus ipse fons est, exemplar, & custos supremus servetur; nimium proinde in summum Deum, ipsiusque divina attributa injurii sunt, qui naturalem legem obligandi vi esse destitutam, Deumque indifferentem esse, vel illam violemus, vel adimpleamus effutire non verentur.

XII. Si lex naturalis est participatio legis æternæ a Deo, qui ipsamet sanctitas, & bonitas est prorsus indistinctæ, illius universalissima præscriptio alia esse nequit, quam *bonum est diligendum*, *malum fugiendum*. In hac porro una quæcumque per naturalem legem, aut jubentur, aut vetantur, velut in genere, continentur. Dilectio autem Dei, & proximi sunt in specie ea legis naturæ præcepta ad quæ cetera facilè reducuntur.

XIII. Licet ex statutis jam a nobis principiis naturalis legis immutabilitas firma adeò consistat, ut concuti nulla ratione valeat, nisi æternus, & immutabilis rerum ordo in mente divina consistens, ipsaque proinde Dei essentia mutationi obnoxiat sit, quod impossibile omninò esse nemo non videt; nihilominus ne quæstiones a Sacris Tractatoribus agitari solitas omittere videamur, naturalem legem, neque per abrogationem, neque per subtractionem mutari posse asseveramus.

XIV. Sed nullam pariter in Terris potestatem adeò sublimem unquam reperiri contendimus, quæ per dispen-

dispensationem ab observantia naturalis legis valeat homines eximere ; oppidò proinde nostro judicio falluntur quicunque opinantur, Summum Ecclesiæ Rectorem posse contra jus naturale dispensare.

XV. Imo nec in Deo ipso in aliquo naturalis legis præscripto dispensandi agnoscimus facultatem, quidquid pluribus collectis Sacrarum Scripturarum exemplis in adversæ sententiæ patrocinium afferant nedùm Coccæjus hac in re Grotii oppugnator, & quotquot in materia naturalis legis interiorem essentialem honestatem, aut turpitudinem non admittunt; sed etiam nonnulli e Schola Theologi, alioquin præclarissimi.

XVI. Quorum opinioni nunquam adhæsisse mellifluum Doctorem Bernardum ex sola operum ejus lectione facilè poterit quisque dignoscere.

XVII. Hæc hactenus a nobis constituta theoremata e radicibus veluti evellunt, subvertuntque falsa, & monstruosa recentiorum libertinorum, qui spiritus fortes se jactant, Ethices systemata. Verum, ut magis appareat quantum a veritate aliena sint, & æquitati, ac rationi contraria, principaliora saltem eorumdem capita sigillatim confutanda assumimus; ac in primis tanquam impium, & absurdum reijcimus quod Hobbesius, & post eum Osiandrus, Seldenus, Puffendorfius, aliique ejusdem farinæ homines statuerunt, omnia nempe ante legem voluntariam esse indifferentia, atque adeò ex solo libero Legislatoris beneplacito bona, aut mala evadere.

XVIII. Sed non minus absurdum, & horrendum est fundamentum in quo tam nefarium systema superstruxit Hobbesius: *Naturam scilicet dedisse unicui-*

cuique hominum jus in omnia, hoc est in statu mere naturali, sive antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuique licuisse facere quæcumque, & in quoscumque, ac proinde possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat, & poterat.

XIX. Omni pariter execratione dignissimum est aliud paradoxum, quod vi sui systematis adoptare conatus est Hobbesius: *Bellum scilicet omnium in omnes, atque spem unicuique securitatis, conservationisque suæ in eo sitam esse, ut viribus artibusque propriis proximum suum, vel palam, vel ex insidiis præoccupare possit.* Sunt ipsamet Hobbesii verba. *lib. de Civ. c.* 12., & *c.* 5.

XX. Ut autem doctrinæ suæ horrorem temperet Hobbesius, generisque humani declinet invidiam, quamdam naturæ legem admittit præscribentem quærendam esse pacem, ubi haberi potest; atque hinc infert mutuis pactionibus debere homines se divincire, ut bellum omnium in omnes devitent. At si prima naturæ lex homines impellit, ut mutuis pactis pacem curent, hæc eadem lex non potest non damnare bellum omnium in omnes, ac proinde Hobbesianum systema antilogiarum complexum est, ac seipsum evertit.

XXI. Alterum impii Hobbesiani systematis principium est: *Jus omne in vi esse collocandum: potentiam certam, & irresistibilem jus conferre regendi imperandique in eos, qui resistere non possunt, adeò ut omnipotentiæ ab ea causa omnium rerum agendarum jus essentialitèr, & immediatè adhæreat: jus proinde Deo esse a sola potentia irresistili, ac obligationem ad præstandum ipsi obedientiam incumbere homi-*

minibus propter imbecillitatem, quod tanquam maximè exitiosum, cujuscunque legis honestatis, & justitiæ destructivum, in divinam bonitatem, & sapientiam injuriosum, rejicimus, & execramur.

XXII. E tenebris Hobbesianis a Rousojo extractum systema, & ab Helvetio adoptatum hominis scilicet natura sua solitarii silvestrisque, nedùm pura putaque fabula est per divinam revelationem penitus explosa, sed & indigna viro Philosopho, & cuicunque se sanæ mentis esse profitetur.

XXIII. Sed quid dicendum de quibusdam fundamentalibus juris naturalis regulis a Protestantibus libertinisque recentioribus evulgatis? Tantum non est nobis otii, ut singulas peculiariter refellamus; sed neque præstare id lubet, præsertim cum e regione statutorum a nobis principiorum ex semetipsis corruant necesse est, nullusque sit rationis compos, qui earumdem impietatem, absurditatem, perniciosissimasque ab iisdem necessariò fluentes consequentias non deprehendat, ac detestetur.

XXIV. Veritatis tamen amor, & filiale erga P. O. Augustinum studium retundere nos cogunt effrænatam Barbeyraci animositatem, qui Doctorum Aquilam, fulgidissimumque Ecclesiæ Lumen tanquam naturalis juris inscium venditare non erubescit; tresque errores cum lege naturali pugnantes audet ipsi impingere. At quæ in sui mendacii pattocinium ex aureis S. P. Augustini operibus superciliosus Patrum censor infarcit, nonnisi propriam in calumniando impudentiam, naturalisque juris inscitiam produnt.

XXV. Tantum quippe abest Magnum Augustinum docuisse licere uxori cedere alteri mulieri jus, quod

in

in proprium maritum habet, & e contra maritum alteri viro renunciare jus in propriæ uxoris corpus, ut Barbeyracus calumniatur; quin potius nullus est, qui adulterii fœditatem, & malitiam adeò strenuè solidèque insectatus sit, ut Augustinus, qui duos integros libros de adulterinis conjugiis scripsit, in quibus ex instituto, adulterii nequitiâ pleno in lumine collocatâ, illam undique persequitur & execratur. Barbeyracus autem ad suam sycophantiam incrustandam textum eximii Ecclesiæ Doctoris *ex Serm. Domini in Monte c.15.* excerptum, truncatum referens, & in extraneum sensum detorquens nequit a turpissima fraudolentia excusari.

XXVI. Sed emicat magis Barbeyraci fraus, & audacia in præclarissimum Doctorem Augustinum insurgentis, quod *in Ep.153., alias 54. ad Maced.* docuerit: *Justos omnium jure potiri, infideles autem legitimè possidere nihil*, cum in illa eadem Epistola, eademque prorsus pagina maximum Ecclesiæ Lumen Augustinus societatis jura, & justitiæ confinia tueatur, debitores ad reddenda aliena urgeat, omnesque instruat, & hortetur ad mutuam servandam justitiam, cujus læsio jura societatis infringit, nullibi distinctione facta inter justos & peccatores. Docet quidem ibi P. O. Augustinus homines temporalia bona a Deo accepisse, ut iisdem benè uterentur, ac proinde, quotquot in malos usus ea distrahunt, Deo supremo distributori reddere rationem debere, tanquam illegitimos possessores; justos e contra quia, quatenus justi sunt, omnibus rectè utuntur, omnia jurè possidere; quo nihil dici potest verius; & naturali, divinæque legi conformius.

mius. At ex hisce inferri Doctorem sanctissimum tenuisse justos omnia iniquorum bona invadere posse, ac super ea dominii jus habere, solum malevolentissimum Barbeyraci ingenium potuit excogitare.

XXVII. Si naturæ lex clamat, fideliter standum esse promissis, ut etiam recentiores Libertini, & Protestantes concedunt, nec ipsemet denegat Hobbesius; tanquam naturalis legis fractor, & perfidiæ reus, plecti jurè debet, qui liberè Religione susceptâ, Deoque fide datâ, ab eadem desciscere, aut proprio arbitrio temerare & corrumpere illam tentaverit; contra jus naturæ itaque minime Augustinus erravit justam asserens hæreticorum punitionem, ut perperam Barbeyracus effutit Tolerantismi, & Indifferentismi patrocinator acerrimus.

XXVIII. Sed ad nostrum institutum jam redeamus oportet. Naturalis lex, etsi singulis hominum mentibus inhæreat, quoniam in plurimis ob vetustam vitiorum consuetudinem, idolatriam, noxiasque cupiditates a recta ratione aversis, & veluti obrutescentibus cœperat desuescere; hinc misericors Dominus dignatus est naturalis legis præcepta etiam literis consignare, *ut nempe prævaricatores*, quemadmodum *in Psal.* 57. magnus Augustinus animadvertit, *in tabulis legerent, quod in cordibus non legebant*.

XXIX. Naturalis lex in duabus lapideis tabulis insculpta, & intra decem a Domino coarctata sententias, Decalogus appellatur. At quomodo decem præcepta in duabus Testamenti tabulis fuerint distributa divinare vix possumus. Inter varias tamen de hujusmodi præceptorum partitione veterum opinio-

niones, tanquam verosimiliorem, magisque probabilem amplectimur illam *Ep. ad Jan. c.* 12. *l.* 3. *Confess. c.*8., & alibi a P. O. Augustino traditam, & jam inter Catholicos communem, quâ nempe statuitur in priori tabula tria tantum ad Dei cultum pertinentia, in altera septem reliqua spectantia ad proximi dilectionem contineri.

XXX. Primo Decalogi mandato: *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, & quæ in Terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub Terra.* Exodi c. 20. v. 3. cultum quemlibet idolorum, ac statuas ligneas, vel lapideas factas causâ cultus extranei, aut scalpro, aut dolatura, & idola cujuscunque generis sive conflata, sive picta quibus religiosus cultus exhiberetur prohiberi, rem minime dubiam esse omnes fatentur. At Judæis, vi hujus præcepti, omnem prorsus sculpturam, aut imaginem fuisse interdictam, ut nonnulli acerrimè propugnant, falsum penitus existimamus.

XXXI. Præter naturalia præcepta, quibus constat Decalogus ex cæremonialibus etiam, ac judicialibus mandatis Lex vetus, toto veteri Testamento comprehensa, coalescit. Hanc a Diabolo, vel malorum omnium principio latam fuisse blasphemarunt olim Simoniani, Carpocratiani, Valentiniani, & omnium impudentissimi Manichæi, quorum insaniam strenuè repressit in *ll. adv. Faust.* hæreticorum Malleus P.O. Augustinus, cujus vestigiis inherentes, Legem Veterem opus Summi Dei fuisse, ac proinde bonam, sanctam, non pravis constitutam præceptis pro aris & focis sustinemus.

XXXII. Tanquam vana deliria quorundam veterum deridemus opiniones effutientium, veterem legem partim a Deo, partim a Moyse, partim a Senioribus fuiſſe inſtitutam; cum ineluctabilia argumenta demonſtrent Vetus Teſtamentum totum a Deo fuiſſe, neque illi, aut Moyſen, aut Populi Seniores aliquid pro libito addidiſſe.

XXXIII. Etſi Deus totius veteris legis auctor fuerit, & inſtitutor; hæc tamen merito Moſaica nuncupatur, & Moſes non improbanda ratione Hebræorum dicitur Legislator, quoniam inſtitutæ a Deo legis promulgator extitit, nec alterius hominis manu, vel ore eadem lex conſcripta fuit, aut prolata.

XXXIV. Et quoniam ad Moyſen Hæbraicarum legum promulgatorem noſtra deſcendit diſputatio, non injucundum, neque inutile erit, ſi nonnulla, quæ de memorabili ſanctiſſimoque viro ſolent eruditos inter controverti, hic etiam inſeramus; ac primo adverſus aliquos, qui nomen *Moſes* Ægyptium fuiſſe autumant, tum quia puerulo impoſitum a filia Pharaonis Ægyptia, tum quia in Ægyptiaca lingua congruentem habeat ethymologiam; cum Rabbino Abenezra, ac innumeris doctiſſimis viris Hæbraicum fuiſse ſtatuimus.

XXXV. Moſes *Polygamon* ne, an *Monogamon* fuit? Cum Scriptura de uxore Moſis loquens Æthiopiſſam illam appellet *Num.* 12., ac *Exodi c.* 11. habeamus pariter Moſen in uxorem duxiſse Sephoram filiam Jetro Sacerdotis Madian; cumque Madian Patria Sephoræ ſita fuerit in Arabia Petræa ad mare rubrum longè ab Æthiopia diſſita; viſum idcircò eſt Scriptoribus plurimis poſt Joſephum *l.* 2.

An-

Antiq., Abulensem, Comestorem, Fabricium, uxorem Moysis Æthiopissam, aliam fuisse a Sephora Madianitide; ac per consequens Mosen *Poligamon* dixere. Longè tamen verius nobis videtur, Mosen *Monogamon* fuisse, nec aliam præter Zipporam, seu Sephoram habuisse uxorem, quemadmodum cum Tertulliano sentiunt eruditissimi viri quamplures.

XXXVI. Moysen interfecisse Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis *Exodi c.2.* narratur; hinc Faustus Manichæus apud P. O. Augustinum *l. 22. adversf. Fauſt.* Moysi immane homicidii crimen impingit; at licet contra sanctissimum Legislatorem non leves militent conjecturæ præseferentes criminis suspicionem, ipsum tamen Ægyptium percutiendo nullo homicidii reatu se commaculasse, validissimis innixi momentis tuemur.

XXXVII. Moysen genere fuisse Judæum nedùm Libri Sacri testantur, sed & ex Ethnicis Scriptoribus Tacitus, Lysimachus, Dionysius, & quotquot illius meminerunt; putida proindè fabella sit oportet, quod de Heliopolitano Moysis genere, & expulsione a suis ob lepram, scribit Appion apud Josephum.

XXXVIII. Lepræ vitio revera Moysen laborasse, præter Appionem scripserunt etiam Tacitus, Prolomæus Alex., & Lysimachus; sed hosce omnes mendacissimos hac in re fuisse invicta argumenta demonstrant.

XXXIX. Moysis facies splendida & radians rectissimè ab Auctore Vulgatæ cornuta dicitur, metaphora ducta a cornu Hæbraicè dictum *Cheren*, quo vocabulo radios denotant Hebræi, qui ad instar flammulæ

mulæ in pyramidem uti cornua elevantur; perperam proindè in hanc Vulgatæ lectionem debacchantur Protestantes, ac irrationabiliter rejiciendam esse contendunt.

XL. Moysem primum literarum inventorem minime fuisse pro certo habemus, cum longe ante ipsum alphabeticas literas apud Ægyptios extitisse non sine maximo rationum pondere, vetustissimisque historiarum monumentis *l.* 18. *de Ci. Dei c.* 39. doceat P. O. Augustinus.

XLI. Hisce paucis de Moyse discussis, ad Mosaicam legem redimus, ne nimium quam par est a proposito deflectere videamur. Quamobrem legalium originem investigantes, refutandam principiò assumimus Manichæorum, ac Gentilium Scriptorum insaniam, secundaria Judæorum præcepta, ritusque legales tanquam inutiles, ac sine ulla ratione institutos deridentium, statuendo Cæremonialia veteris Legis præcepta, inspectâ conditione temporum & personarum, eo præcipuè optimo consilio a Deo fuisse præscripta, ut grassantem idololatriæ superstitionem compescerent, & Judæos a peregrinis ad patrios mores, & ab idolis ad veri Dei cultum, sensumque revocarent, simulque futuri Reparatoris præfigurarent adventum.

XLII. Quæ maximâ eruditionis copiâ, rethoricique sermonis fuco, aut ex Scripturarum oraculis, & Patrum auctoritate, aut ex historicis monimentis, verosimilibusque rationibus simul congessere viri doctissimi Spencerus, & Marshamus, ut ostenderent Deum ritus Egypti plurimos, splendore præsertim aliquo plebem fascinantes, Israelitis, qui per multas

tas annorum vices cum Ægyptiis vixerant, concessisse, & conservasse, ac in sui cultum legemque transtulisse, ne Populus ille moris antiqui tenax, sacris novis, aut rudibus offensus, a Legis institutis ad Ægypti superstitionem resiliret, tanti ponderis non sunt, ut cordatorum Theologorum assensum promereantur, qui firmioribus longe momentis innixi tutantur, nunquam Deum aliquam ex suis Cæremonialibus Legibus, ad Israeliticum Populum a Gentium communione & moribus separandum, ad idololatriam subvertendam, ad Salvatoris Christi sanctissima præsignanda mysteria institutis, ex Ethnicorum superstitione mutuasse.

XLIII. Si autem hæc cærimonialia præcepta umbræ, & signa erant futurorum, Redemptorisque adventum, & Evangelii gratiam præfigurabant; adventato piissimo Reparatore, completisque Evangelii figuris cessare ea debuisse manifestissimum est. Intolerabilis proinde est pervicacia, & crassa Judæorum inscitia existimantium perpetuo tempore esse legalia duratura.

XLIV. Et reapse Salvatore nostro suffixo Cruci Lex vetus in iis, quæ Evangelii typum gerebant desiit obligare, simulque cum Redemptore mortua, & ipsa est adeo, ut neque ad æternam salutem fuerit amplius necessaria, neque vim aliquam habuerit a peccato expiandi.

XLV. Non tamen statim ac hujusmodi legalia fuere abrogata evaserunt etiam mortifera, & noxia illicò esse cœperunt, ita ut nefas esset eadem amplius ex animo observare; quæ fuit olim præclarissimi S. Hieronymi sententia; sed ne viderentur antiqua Sa-

Sacramenta, quæ in umbris rerum futurarum Deus fieri jusserat, tanquam diabolica Gentium sacrilegia vitari, sicque obtrectationibus inimicorum proscinderentur; atque ut Mosaica, lex veluti mortuum cadaver, in gratiam animæ paulò ante in ipso detilescentis, cum honore sepeliretur, licitum fuisse aliquando Judæorum legitima servare P. O. Augustino duce sustinemus.

XLVI. Apostolus proinde Paulus restitit in faciem Cephæ, quem reprehensione dignum judicavit, non quod ille uteretur legalibus; sed quod intempestivè ea usurpando erat Gentibus occasio offensionis, illasque ad judaizandum cogendo, legalium videbatur adstruere necessitatem, quasi quod sine illis veteribus Sacramentis credentes in Christum salvi esse non possent, ut *ep.* 82. *c.* 2. P. O. Augustinus advertit.

XLVII. Cepham autem a Paulo reprehensum alium esse a Petro Principe Apostolorum Hector Pintus, Cornera, Harduinus, Boileau cum nonnullis veteribus asseruerunt. At hujusmodi opinio jam a Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus, a Scholasticis etiam, & Sacrorum Librorum Expositoribus refutata, ex eadem Paulina *ad Gal. Ep.* adeò validissimè refellitur, ut Magno Gregorio auctore, is qui Cepham a Petro distingunt *si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.*

XLVIII. Si cærimonialia legis præcepta in Christi morte abrogata fuere, nec amplius ad salutem conducebant, cur gentibus, quæ ad legalia cogi non poterant, impositum fuit *Act. Apost. c.* 15. *v.* 29., tanquam observatu necessarium, *ut abstinerent se ab im-*

immolatis simulacrorum & sanguine , & suffocato , & fornicatione ? Verum cum hæc fuerint Ethnicis superstitiosi cultus argumentum , & his quatuor in ipsis Ecclesiæ incunabulis studeret diabolus ad idololatriam trahere fideles , ut a Gentilibus superstitiones, & vitia cultum idolorum comitantia penitus removerentur, optimo consilio hanc servandam abstinentiam præscripsere Apostoli ; minime vero ut cæremoniæ veteres iterum statuerentur.

XLIX. Abrogatis per Christi mortem Judaicis cæremoniis gratiam Evangelii præsignantibus , Redemptoris Sanguine Novum firmatum est Testamentum, ac Lex nova statuta , quam a Mosaica differre , ipsâque longè esse præstantiorem , ac jure meritoque legem amoris & gratiæ, jugum suave, & onus leve nuncupari , plurima eaque invictissima argumenta demonstrant .

L. Quanquam jugum suave, & onus leve Evangelica Lex verè dicatur , ac reapsè sit , jugum tamen semper , & onus est , quia suis constat præceptis opere animoque a Fidelibus servandis. Blasphemant proinde Lutherus , Calvinus , & Pseudoreformati alii impiè sentientes Evangelicam Legem a quibuscumque exterioribus saltem operibus libertatem induxisse.

LI. Cum autem Sacerdotium Christi æternum sit , neque perfectius ab hominibus possit expectari, ac juxta Apostolicam doctrinam, permanente Sacerdotio nequaquam legis fiet translatio ; hinc Evangelica Lex Sanguine Æterni Testamenti firmata , nulla temporum successione interibit, sed usque ad sæculorum consumationem perdurabit . societatemque

Christianorum supernorum Civium sequetur hæreditas.

LII. Expeditis iis, quæ de jure positivo divino tum veteri tum novo erant discutienda, ad humanas Leges Ecclesiasticas, & Civiles properamus, principaliora dumtaxat de utrisque attingendo; ac initio subvertenda venit impia a Grotio, Goldastio, Pufendorfio, Coringio aliisque Novatoribus erecta moles, qui Hierarchiam Ecclesiasticam a Politica Potestate sejunctam, figmentum esse Papisticum Imperia lacerans, & regimina pervertens procacitèr effutientes, jus Civile supremum cum Sacro turpiter confundunt, & supremæ Potestati Civili annexam esse Potestatem in Sacra pervicacissimè contendunt. At turpiter errant, dum tam perniciosissimum hæresis monstrum divinâ antiqui fœderis auctoritate fulciri obtrudunt.

LIII. Crassiùs tamen, & turpiùs Protestantes Jurispublicistæ falluntur, dum vi, aut novi Testamenti, aut legis naturalis summas Potestates jure potiri in Sacra dogmatizant.

LIV. Duas quippe agnoscendas esse Potestates humanas, unam nempe Ecclesiasticam a Deo Auctore supernaturali manantem, cui soli jus in Sacra competit, & spiritualia moderatur; Civilem alteram a Deo Naturæ Auctore proficiscentem, cujus muneris est politicum bonum, & Civilis Societatis tranquillitas, ineluctabili divina auctoritate docemur, quibus duabus Supremis Potestatibus naturâ distinctis, ordinisque diversi, ita tamen temperatis ut una alteram firmet, tota Christianæ Religionis & Politicæ Societatis moles regitur & gubernatur.

LV. Quæ cum ita ſint, ſolius Eccleſiaſticæ Poteſtatis eſt leges ad ſpirituale Chriſtianorum regimen inſtituere, quibus ordinis & diſciplinæ vigor, purior Dei cultus, Religionis incrementum, & æterna Fidelium ſalus promoveatur.

LVI. Neque Eccleſiaſticæ Poteſtati munus duntaxat competit ſuadendi & declarandi, ut comminiſcuntur Novatores; ſed etiam auctoritas, & poteſtas coactiva, quâ poſſint ſuarum legum fractores, vi & impoſitâ neceſſitate compeſcere, quemadmodum Divina oracula,& ab Apoſtolicis uſque temporibus vetuſtiſſima Eccleſiæ praxis commonſtrant.

LVII. Civiles etiam Supremas Poteſtates potiri facultate legum condendarum, quæ Politicæ Societatis bonum, pacem, tranquillitatem conſervent promoveantque,veritas Fidei eſt contra Valdenſium Wicleſitarum, ac Lutheranorum deliramenta ineluctabili cujuſcumque generis argumentorum munita præſidio.

LVIII. Licet in Sæcularibus Poteſtatibus auctoritas, aut imperium nullum ſit de rebus ſpiritualibus leges condendi; facultatem tamen habent, imo, ſi neceſſitas adſit, tenentur, tanquam Eccleſiæ defenſores, & vindices leges ferre ad Eccleſiaſticas, & Divinas promovendas, omnique ſedulitate curare, ut executioni mandentur.

LIX. Leges autem humanæ ſive Eccleſiaſticæ ſint, ſive Civiles, nonnullas ut obſtringant poſtulant conditiones, inter quas præcipuas eſſe, ut juſtæ ſint, ad bonum commune directæ, diutinæ, & univerſales nemo poterit jurè inficiari.

LX. Quoniam Populi legibus quas invicibiliter igno-

rant ligari non possunt, neque Legislator obedientiam potest exigere a Subditis, nisi iis mandata ipsius innotescant; hinc ante promulgationem vim nullam obligandi humanas leges habere extra controversiam est positum. E contra verò, dum ad Subditorum notitiam latæ leges pervenerint, itaut de ipsarum existentia, & promulgatione dubitari prudentèr non possit, illicò ad earumdem observantiam teneri, rationi videtur quàm maximè consonum; ac proinde a prudentis Legislatoris potestate atque arbitrio pendere opinamur, num lex ut obliget debeat in sola Metropoli, an in singulis Provinciis promulgari, & an statim post promulgationem, an vero post certum tempus Subditos stringat; dummodò tamen huic generali assertioni non obstent, aut consuetudines alicubi locorum legitimè vigentes, aut peculiaria Regionum jura.

LXI. Cum Legumlatores non sint, nisi qui voluntatem, potestatemque habent Subditos adstringendi, fit inde consequens humanis legibus, sive Civilibus, sive Ecclesiasticis obligandi vim inesse independentèr a Populi acceptatione.

LXII. Humanis imò legibus, & Ecclesiasticis, & Civilibus etiam justos teneri adstrictos, exploratissima veritas est; quidquid Novatores obganniant, cœtum justorum a legum humanarum observantia immunem esse contendentes.

LXIII. Turpissimè pariter aberrant Waldenses, Calvinistæ, ceterique Sectarii callidiores, qui ne videantur humanas penitus rejicere leges, versutè dogmatizant has in solo exteriori foro adstringere, & absque læsione conscientiæ violari posse. Sacra-

rum

rum quippe Scripturarum auctoritate, Patrum testimoniis, aliisque validissimis Teologicis argumentis constat leges humanas Ecclesiasticas nedum, sed & Civiles coram Deo, & in foro interno conscientiæ inferiores obligare.

LXIV. Imò dissentientibus inter se Catholicis Doctoribus, num Ecclesiasticis legibus interiores quoque actus per se, directè, & tanquam proprium ipsarum legum substratum præscribi possint, arbitramur sententiam magis commodam dirigendis moribus Filiorum Ecclesiæ eam esse, quam docuerunt Romanus Ægidius, Vanroy, Guerrero, Piette, aliique Augustiniani Teologi, præter exteros complures, quæque tradit interiorem quoque actum ratione sui sub Ecclesiæ præcepto cadere posse.

LXV. Legislatores autem, qui in Terris superiores non habent, a quibus redargui possint, & puniri, uon esse legibus a se latis, quantum ad vim coactivam obstrictos certissimum est; at institutis a se æquitatis regulis subiici vi æternæ, & naturalis legis jubentis, ut omnia sint ordinatissima, neque potest pariter in dubium revocari.

LXVI. Advenas autem, & Peregrinos locorum ad quæ accedunt teneri legibus, non proprii unde abierunt Territorii sententia est P. O. Augustini *Ep. ad Jan.* 18. canonum auctoritate, consuetudine, disciplinæ, & deprompta a periculo scandali ratione, validissimè firmata.

LXVII. Exigit tandem instituti nostri ratio, ut pauca saltem, quæ de corpore juris Canonici, seu Ecclesiastici, & de corpore juris Civilis solent Eruditos inter controverti, huic nostræ concertationi adne-

ctamus. De authenticitate celebris, ac perantiquæ Canonum collectionis factæ ab Isidoro, quæ protenditur a Canonibus Apostolicis ad secundam Synodum Hyspalensem, & complectitur etiam veterum ante Siricium Pontificum Decretales, magna contentione post Joannem Wiclefum decertatum esse norunt eruditi omnes. Spurias nedum, sed & hæterodoxas illas esse cum Blondello Novatores ceteri blaterabant; autographas e contra, Catholicasque cum Turriano nonnulli ex Catholicis asseverabant. Nos autem inter hæc duo e diametro opposita opinamenta, Petri de Marca, Antonii Pagii, Joannis Bortonii, aliorumque doctissimorum virorum calcantes vestigia, mediâ incedimus viâ, statuentes Isidorianas Decretales interpolatas esse, & magna ex parte suppositas; minimè vero rejiciendas, ut Apostolicæ doctrinæ, Orthodoxæque fidei adversantes.

LXVIII. At quamvis hujusmodi Decretales non sint omnes genuinæ, nec collectio ipsa autographa; omnes tamen tanquam spurias expungere imperitorum est, atque imprudentium; recto proinde criterio utendum ad secernendas genuinas a spuriis, ne cœco, ac præcipiti judicio cum spuriis genuinæ rejiciantur.

LXIX. Imo quæ ad adulterinas jurè amandantur, neque sunt temerè respuendæ; cum in iis contineri dogmata cum recta fide pugnantia, prætextum hæreticorum mendacium esse, vel ex eo solo luculentissimè constat, quod iisdem tanquam consentientibus Patrum traditioni, & Ecclesiasticæ disciplinæ usque ad tempora Concilii Constantiensis, uti sint communiter Fideles. LXX.

LXX. Alter celebris Canonum Collector fuit Gratianus Monachus Cluniacensis. Hæc autem collectio ut potè a privata persona, nulla condendæ legis fræta auctoritate, composita, nec unquam ab Ecclesiastica Potestate tanquam authentica & legalis approbata, intrinsecam Canonum auctoritatem augere non potest; proindèque Canones a Gratiano collecti, non aliam habent auctoritatem, quàm fontium locorumque, unde sunt derivati.

LXXI. Canones verò, qui vulgò dicuntur Apostolici, quam habeant antiquitatem, & originem ob varia doctissimorum virorum placita, non est facile definire. Nos autem neque eos credimus Apostolica auctoritate conditos, & pervetustissima traditione ad nos derivatos, ac per Clementem in unum congestos, ut visum est Severino Binio, Turriano, Grutero, Lindano, aliisque pluribus; neque editos arbitramur vergente ad finem quinto Christiani nominis sæculo, ut inter alios contendit Dallæus; sed potius Petro de Marca, Albaspinæo, Beveregio, Scaligero, aliisque opinantibus editos secundo, aut saltem tertio sæculo ineunte adhærendum putamus, quoniam primis etiam Ecclesiæ sæculis obtinuisse non spernenda argumenta suadent.

LXXII. Sed multò minus de ipsorum Apostolicorum Canonum numero aliquid certi possumus statuere; verum quoniam quinquaginta a Dionysio translatos ex Apostolicis fontibus fluxisse cum Baronio *ad ann. CII. num. XII.* certissime teneant quamplurimi; ac de iisdem Stephanus Papa IV. in Synodo Lateranensi anno *769.* celebrata *Act. IV.* decreverit, ut suscipiantur; hinc juxta sensum Apostolic[illegible]

Sedis hos quinquaginta recipiamus oportet.

LXXIII. Jam a Canonicis ad Civiles leges tranſimus. Inter has quarum etiam nunc, aut tabulæ extant, aut ſparſa ſaltem fragmenta, præter Hæbraicas, & affines Ægyptiorum, Principem ſibi vindicare locum Athenienſes, vel Atticas, nemo qui juris ſcientiam delibavit, ignorat. Ab Atticis legibus originem duxiſse Romanas, & tam Romanas, quam Atticas, etſi non omnes, ex Hebraicis fuiſſe derivatas, ex earum collatione, aliiſque hiſtoriæ monimentis certo colligitur.

LXXIV. Conſuetudini, quæ omnibus ornata ſit requiſitis a Juriſtis conditionibus, ineſſe vim abrogandi legem contraria præſcribentem, ipſamque vim legis obtinere, & perinde ac lex eſſet obſervandam, cum JCC. omnibus ſuſtinemus, rectèque proindè a P. O. Auguſtino *l.* 83. *qq. q.* 31. Conſuetudo dicitur: *Jus, quod aut leviter natura tractum aluit, & majus fecit uſus, & religio; aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit.*